

Qk. 529

*de Schismatis yne operibus.*

X 2313070

B. n.

IIa  
54

DECANVS  
PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
ERN. GODOFR. CHRISTIAN  
SCHROEDERVS  
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ASSESSOR  
ET H. T. IMPERIALI AVCTORITATE  
CONSTITVTVS COMES  
PALATINVS  
PHILOSOPHIAE AC POETICES  
CVLTORIBVS

S. D. P

EOSQVE AD SOLEMNIA DIE XVII OCTOBRIS  
RITE CELEBRANDA  
INVITAT

---

VITEMBERGAE  
LITERIS TZSCHIDRICHIANIS











\* \*



Quo maior est bibliothecarum numerus, quae  
pristinis floruerunt temporibus, nostraque  
aetate omnibus fere reperiuntur locis; eo  
certius est, librorum amatores ad eos  
colligendos uariis permoueri rationibus.  
Nonnulli enim superbiae gloriaeque ina-  
ni dediti splendas erigunt bibliothecas, putantes, tunc  
aeternam nactos esse famam, omnique iure praecipuum  
inter eruditos mereri locum, si ingentem pretiosissi-  
morum librorum multitudinem magnis comparatam  
sumtibus iactare possunt. Alii coaceruare libros stu-  
dent, non quidem, ut ab aliis laudentur, sed quoniam  
uel iis ipsis parietes multis librorum millibus occultati  
placent, uel quia opinantur, non aliter fieri posse, quin  
tot uoluminibus cincti eruditissimi euadant, licet iis aut  
nunquam, aut saltem non debito, utantur, modo. Alios  
animus rerum semper nouarum cupidus ad amplas bi-  
bliothecas impellit exstruendas. Simulac enim scriptum  
quoddam in lucem prodiit, statim illud possidendi flagrant  
cupiditate, quod tamen semel fugitiuoque perlustratum  
oculo seponunt, ulteriusque non euoluunt. Quid uero  
de his rationibus, quibus aliae adhuc annumerari pos-  
sent, sit sentiendum, iam non disquiram, sed iudicium  
tantummodo Senecae, quod de nimia fert librorum in  
biblio-

\*



bibliothecis copia, afferam: „Studiorum quoque, inquit,  
 „*l. de tranquillitate, cap. IX.*, quae liberalissima impensa est,  
 „tamdiu rationem habebō, quamdiu modum. Quo mi-  
 „hi innumerabiles libros et bibliothecas, quarum domi-  
 „nus uix tota uita sua indices perlegit? Onerat discen-  
 „tem, non instruit: multoque fatius est, paucis te aucto-  
 „ribus tradere, quam errare per multos. Quadringen-  
 „ta millia librorum Alexandriae arserunt, pulcherrimum  
 „regiae opulentiae monumentum. Alius laudauerit,  
 „sicut Lilius, qui elegantiae regum curaeque egregium  
 „id opus, ait, fuisse. Non fuit elegantia illud, aut cura,  
 „sed studiosa luxuria, imo ne studiosa quidem, quoniam  
 „non in studium, sed in spectaculum comparauerant;  
 „sicut plerisque ignaris etiam feruiliū literarum libri  
 „non studiorum instrumenta, sed coenationum ornamen-  
 „ta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, ni-  
 „hil in apparatus. Honestius, inquis, in hos impensas,  
 „quam in Corinthias pictasque tabulas effuderim. Vi-  
 „tiosum est ubique, quod nimium est. Quid habes,  
 „cur minus ignofcas nomen marmore atque ebori ca-  
 „ptanti, quam opera conquirenti aut ignotorum aucto-  
 „rum, aut improbatorum et inter tot millia librorum  
 „oscitanti? cui uoluminum suorum frontes maxime  
 „placent titulique. Apud desidiofissimos ergo uidebis,  
 „quidquid orationum historiarumque est, et tecto tenus  
 „exstructa loculumenta. Iam enim inter balnearia et  
 „thermas bibliotheca quoque, ut necessarium domus  
 „ornamentum, expolitur. Ignofcerem plane, si e studio-  
 „rum nimia cupidine oriretur: nunc ista exquisita, et  
 „cum imaginibus suis descripta sacrorum opera inge-  
 „niorum in speciem et cultum parietum comparantur.“  
 Cum ex his Senecae uerbis facile perspici potest, alla-  
 zas rationes esse spurias falsasque, uideamus, quisnam  
 uerus sit finis, quem in comparandis intendere debe-  
 mus



mus libris; Et hic in eo est positus, ut ex eorum attempta lectione et crebro usu nostram augeamus scientiam, uel, ut uno proferam uerbo, utilitatem librorum in exstruenda bibliotheca ante oculos semper ponamus. Non igitur respicienda est in colligendis libris eorum copia, cum ex paucis iisque optimis plus discere possumus, quam ex ingenti librorum aceruo, in quo permulti inutiles, uel saltem ad scopum nostrum non pertinentes, inueniuntur. Non respicienda est librorum raritas, quae non semper signum boni et utilis libri, quoniam multa accidere solent, quae etiam inutiles, imo detestandos libros, inter rariores referunt, de qua re uid. Schelhornius in *Amoenitatibus literariis Tom. II. p. 321.* Non respicienda est in iis externum pretium, quoniam saepius liber uilioris conditionis multis emitur pecuniis, et pretium externum haud raro internum longe superat. Non denique respicienda est librorum nouitas, qui antiquioribus saepe praestantia cedunt. Sed utilitas saltem est consideranda, quam ex libris haurire speramus, quod uero ad reliquas pertinet bibliothecarum librorumque qualitates modo enarratas, in iis comparandis opum nostrarum nostrique status ratio est habenda. Quo plus igitur prudentiae, operae, pecuniae et temporis ad tales colligendas requiritur bibliothecas; eo duriora sunt fata, quae illas uel dissipant, uel destruunt, praesertim si publicis, uel primiceriorum, contingunt bibliothecis, quae priuatos saepissime splendore excedunt. Quod damnum haud raro tantum est, ut uix ac ne uix quidem reparari potest. Innumerabilia huius rei adsunt exempla, ex quibus patet, quam uaria sint sortis bibliothecis, tum publicis, tum priuatis, aduersae genera, de quibus uero iam non est prolixè loquendi locus. Taceam igitur de bibliothecarum *auctionibus*, quibus libri



libri diu multis impensis collecti in omnes terrae dis-  
perguntur partes. Quas, siue mortuis, siue ab ipsis  
adhuc uiuentibus instituantur possessoribus, bibliothecis  
et uniuersae reipublicae literatae afferre detrimen-  
ta, inter reliquos eruditos, qui hanc ob causam eas  
publico dicarunt usui, cognouit Thuanus in ultima  
sua uoluntate, praecipiens sequentia, quae Struuus in  
*Introductione in notitiam Rei literariae*, p. m. 253, ex Gramon-  
do profert: „Bibliothecam meam quadraginta amplius  
„annorum spatio, magna diligentia ac sumtu conge-  
„stam, quam integram conseruari non solum familiae  
„meae, sed etiam rei literariae interest, diuidi, uendi  
„ac dissipari ueto, eamque communem cum numisma-  
„tibus antiquis aureis, argenteis, et aeneis inter filios,  
„qui literis operam nauabunt, facio, ita, ut etiam ex-  
„teris, simul aliis Philologis ad usum publicum pateat.“  
Taceam de bibliothecarum *spoliatione*, qua multae ab  
expilatoribus furibusque sunt mutilatae et diminutae.  
Taceam de earum *transportatione*, qua bibliothecae do-  
minis suis illisque, qui iis sunt usi, ui eripiuntur et  
in alium transferuntur locum, quod bibliothecae Grae-  
ciae aliarumque prouinciarum a Romanis uictarum  
Romam transpositae, et, nostro aeuo, Bibliotheca Hei-  
delbergensis bello illo tricennali cum Vaticana coniun-  
cta, satis probant. Taceam de earum *deuastatione*, qua  
praesertim temporibus seditionis ac belli libri diffi-  
pantur, dilacerantur, et destruuntur. Taceam de *ter-  
rae motu*, quo haud paucae bibliothecae in uoragines  
praecipitatae ulteriori usui sunt subductae. Taceam  
de *aqua rapace*, complures absorbens libros, quod exem-  
plum



plum bibliothecae Pinelli demonstrat, cuius magna pars a praedonibus marinis capta in undis est coniecta. Fateam, inquam, de his aliisque casibus, quibus bibliothecae haud parvam faciunt iacturam, et unum modo expendam, quod illis tristem parat ruinam. Quid uero est, quod libris sit perniciosius, quam uorax ignis flamma, qua tam splendida aedificia, tot praestantissimae urbes, breui temporis spatio in cineres sunt redactae. De *bibliothecis* igitur *igne*, uel penitus, uel saltem quoad maximam partem, *deletis*, in praesenti agam, siue incendium illud fulguris ictu, siue ex neglecta cautione debita, siue ex malitia hominum, siue denique tempore obsidionis globulis igneis in urbem iniectis sit ortum atque excitatum. Inter quas bibliothecas hoc deplorando modo consumtas omnium fere antiquissima est *Cnidia* illa, quam Hippocratis tempore conflagrasset, certum est. Num uero cum ueritate conueniat, quod Hippocrati tribuitur, illum nempe inuidia ductum hanc ipsam cremasse bibliothecam, uel saltem eius curasse conflagrationem, quoniam Cnidi, insulae cuiusdam Cycladum, incolae ab eius discrepabant praeceptis medicis, aliisque utebantur, admodum incertum est, plura uid. apud Soranum *in uita Hippocratis*, Bartholinum de *incendio bibliothecae*, Lohmeierum de *biblioth.* Spicelium de *iisdem*, aliosque. Hanc Cnidiam uero aeque, ac omnes reliquas bibliothecas combustas superat praestantissima illa *Alexandrina*, quam Ptolemaeus Philadelphus A. M. 3721 summo studio ac sumtu colligere incoepit, eamque ob causam etiam S. Codicem per LXX uiros interpretari curauit. Parens eius Ptolemaeus Lagus iam per Demetrium Phaleraeum insignem

uolu-



uoluminum sibi comparauerat numerum, quem moriens filio reliquit, et ab eo adeo fuit auctus atque amplificatus, ut, ingentem legentes uoluminum in hac bibliotheca copiam, facile obstupescamus. Qua re factum est, ut non parens, licet prima eius fundamenta iecerit, sed Philadelphus filius auctor atque fundator nominetur. Quot uero millia haec bibliotheca continuerit uolumina, non consentiunt auctores. Isidorus enim numerat 70000, Cedrenus 100000, Iosephus 200000, Seneca in uerbis supra commemoratis 400000, Gellius uero et Ammianus Marcellinus 700000. Incredibilis certe esset numerus, si per haec uolumina tales intelligere uellemus libros, qualibus nostra utimur aetate; Sed docet Conringius in *Epist. de bibliorb. Augusto*, aliique, non uolumina ex spissis semper constituisse codicibus, sed plerumque ex paucis tantummodo plagulis. Qua uero ratione hae diuersae eruditorum sententiae de numero uoluminum sint conciliandae demonstrat Struuius l. c. Sed reuertor ad incendium praetiosissimae huius bibliothecae, quo A. M. 5970 -- 80. Imperatoris Iulii Caesaris tempore conflagrauit. Cum enim hic ab incolis Alexandriae in arce Alexandrina obsideretur, accidit, ut incensis nauibus domibusque adstantibus simul Museum et Serapeum, cum hoc librorum thesauro, flammaram impetu sit ablatum. Ad quod damnum, a Romanis hoc incendio Cleopatrae infectum, reparandum, Antonius dictae Cleopatrae *bibliothecam Attali Regis Pergamensi*



*meni* dono dabat, quae quidem eo tempore ex 200000 modo constabat uoluminibus, sed in sequentibus seculis adeo creuit, ut priori Alexandrinae numero uix cederet; sed etiam iisdem periit fatis. Cum enim, A. C. 642 dux exercitus Saracenicus Amrus Ebnol As Alexandriam occuparet, omniaque ibi uastaret, simul interitus aderat huius bibliothecae. Ioannes quidem Philoponus Grammaticus eius conseruationem a nominato duce Amro anxie flagitauit, qui etiam, si in eius positum fuisset potestate, huius Philosophi, quem adamabat, precibus locum dedisset, proposuit tamen Domino suo, Caliphae Omari, eius petitionem, qui uero Tyrannus respondit: Aut libri conueniunt cum Corano, aut non. Si conueniunt, non eorum opus est, cum omnia, quae sunt scienda credendaque, Coranus continet. Si non conueniunt, pro perniciosis noxiisque sunt habendi, eamque ob causam omnes libri, quotquot inueniri possunt, igne sunt delendi. Quo mandato Caliphae dicto audiens Amrus uolumina ad balnea calefacienda inter milites distribuit, quae tamen sex mensium spatio, licet quatuor millia in Alexandria erant balnea, uix potuerunt penitus extirpari, ex quo perspiciendum est, quantus eorum fuerit numerus. Qualem iacturam res fecerit literaria duplici hoc incendio bibliothecarum Alexandrinarum, uix cogitare, nedum uerbis exprimi, potest. Progredior ad aliam *bibliothecam*, quae *Alexandriae* florebat, et a Geor-  
gio



gio Arriano Episcopo huius urbis fuit extracta. Hanc imperator Iulianus, Christianorum infensissimus inimicus, literarum uero eximius amicus, libros undique colligens, Antiochiam in suburbium, Daphne nominatum, et quidem in templum Traiani transportauit. Iouianus uero ab uxore incitatus templum aequae ac bibliothecam, concubinis faces apportantibus, incendi curauit de quo uid. Suidas in *Lexico suo uoce Iouianos*. Romam, caput olim mundi, magnificis ornatam fuisse bibliothecis, nemo, nisi omnium literarum expertus, dubitabit, sed fere omnes in cineres sunt collapsae. Testatur hoc *bibliotheca Vespasiani*, ab hoc Imperatore post Hierosolymarum destructionem condita, et in templo pacis, A. C. 71 fundato, posita, fulmine icta A. C. 101. Commodi imperante, conflagrata, quod ex Galeni, libros suos simul amittentis, patet querelis. Testatur hoc *bibliotheca Capirolina*, quam tamen nonnulli unam eandemque esse cum praecedenti, existimant. Testatur hoc *bibliotheca Octauia*, non, ut quidam opinantur, ab Octauia, sed ab ipso Augusto, instituta, et Octauia nominata, ut hac appellatione Octauiae nomen memoriaque semper conseruaretur. Testatur denique, ut de reliquis taceam, *bibliotheca Palatina*, etiam ab Augusto in monte Palatino iuxta aedes suas et Apollinis templum condita, de qua conf. Lursinius *de templo et bibliotheca Apollinis*, et Reuschii *diff. de bibliothecis Romanorum*, Lambecius in *Prodromo H. L. p. m. 233* docet hanc Palatinam differre ab illa Octauia, quas unam esse bibliothecam



thecam, quidam putant Nec faeuens flamma elegantissimae quondam urbi Constantinopoli pepercit, quin potius, praesertim tribus uicibus, faeuitiam suam in libros bibliothecasque manifestauerit. Deuorauit enim ignis, tempore Leonis M., per quatuor dies urbem uastans, A. C. 467. *Constantini bibliothecam* ex 120000, uel, ut Cedrenus dicit, ex 600000 Voluminibus constantem, quam hic erexit Imperator, et Iulianus aliique Imperatores maximo auxerunt ope. Zeno quidem Isauricus eam restituere anxie studebat, exstruebat aedificium, quo libros collectos reponeret, constituebat unum Inspectorum bibliothecae, qui Doctor nominabatur Oecumenicus, eique XII adiungebat alios eruditos. Ast splendida haec *Zenonis bibliotheca*, cum Constantini quidem non comparanda, sub Leone III Isauo, uel, ut fertur, eius iussu simul, cum Oecumenico Professore et XII reliquis doctoribus, Leonis imaginum destructioni aduersantibus, A. C. 726. est combusta, quo incendio quoque bibliotheca Templi Metropolitaniani, haud exigui pretii, misere conflagrauit. Superiori tandem seculo, et quidem A. 1665, accidit, ut *bibliotheca Imperatoris Turcici*, magno librorum numero instructa, simul cum eius palatio et gynaeceo, in cinerem mutaretur, quae fata eodem tempore *bibliothecam* euerterunt *summi Turcarum Pontificis*. Gens quoque Hebraea, ab hostibus uexata, bibliothecas suas istiusmodi casibus abreptas iam dudum doluit. Periiit enim *bibliotheca a Nebemia collecta* tempore Antiochi, qui, teste autore librorum Maccabaeorum, codices lacerauit et igne abstulit. Periiit *bibliotheca Iudae Maccabaei*, qui, priori deleta, alteram erigebat, quae uero, Hierosolymis a Romano exercitu, duce Tito Vespasiano, occupatis, aequae, ac *reliquae Iudaeorum bibliothecae in singulis synagogis*, quarum non exiguus erat numerus, obuia, est dissipata et concremata. Ad extremos Asiae



nos



nos si uertamus fines, et ibi uestigia incendii bibliothecarum reperiemus. Chingi enim, seu Xii, imperator regni Chinenſis, ad extinguendam omnium maiorum fuorum memoriam, A. 215 a. C. n. *cunctas*, imo etiam *Imperatoriam*, igne extirpare *bibliothecas*, iuſſit. Alius Chinenſium imperator YuenTi, A. 555, *bibliothecam ſuam*, numerum 140000 Voluminum explentem, ne rebelles, quibus ulterius reſiſtendi non erat ei facultas, ea potirentur, cremauit. Sed redeamus ad Europae regna ac prouincias, cineresque ibi combuſtarum bibliothecarum breuiter animo colligamus. Et inter has regiones primo noſtrum retardant gradum Hungaria Tranſyluaniaque, haec nobis *Cronſtadienſis*, illa *Budenſis*, *bibliothecae* enarrans incendium, quae poſterior a Rege Matthia Coruino, Sec. XV. exſtructa, et prae er magnum Mſtorum numerum, ex 50000 libris impreſſis conſtans, a Turcarum imperatore Solymanno, hanc urbem A. 1526 occupante, eſt uaſtata atque accenſa, licet Princeps purpuratus Bozmannus pro eius conſeruatiōe 200000 Ducatos obtulerit. Ex Hungaria ad uicinam progredientes Poloniam Lithuaniamque, in loco quodam, Oſtrogh, dicto etiam uestigia incendii inueniemus, quo A. 1623 ſplendidae *bibliothecae Matth. Rybinii* et *Mart. Grat. Gertichii*, duorum eccleſiae Reformatae ibidem Seniorum, ſiue Superintendentum, quorum prior ante hoc triſte tempus diem obiit ſupremum, conſiſtarunt. Prussia et Gedani, et Regiomonti, bibliothecarum fecit iacturam. Hic enim *Cancellarius Marr. Wallenrodus*, A. 1623, *bibliothecam ſuam* cum ſuo palatio igne amittebat. Ibi uero magni illius Mathematici et Conſulis dictae urbis, *Io. Heuelii*, *bibliothecam* pretioſaque eius Mſta et instrumenta flammae A. 1679 deuorauerunt. Nec deſiciunt in regno Sueciae acerba huius rei documenta, cum non *Wexionia* ſolum *bibliotheca* A. 1740, fulmine accenſa, periit, ſed etiam *Uppsalienſis*  
Acade-



*Academicæ bibliothecæ magna pars 1702 est combusta.* Ber-  
ga Norwegiæ et *suam ipsam, et Seuerini, Lintrupti*, eo tem-  
pore Rectoris Scholæ Bergensis, postea Episcopi Wi-  
burgensis, *bibliothecam A. 1702 conflagratam* deplorat.  
Daniam quoque eruditam, tristes edere querelas, cre-  
bra l'coegerunt incendia. Consumsit enim A. 1670  
flamma *bibliothecam Thomæ Bartholini*, quondam Regis  
Christ. V. Archiatri, qui hanc iacturam libello, cui ti-  
tulus: *Dissertatio ad filios de bibliothecæ incendio*, describit,  
simulque eximiam Regis clementiam in reparandis amif-  
sis summa debitaque extollit laude. Paulo post idem fa-  
tum accidit *Perro Comiti de Greiffensfeld*; qui alias Schuma-  
cherus nominabatur, et qui mutabilem admodum co-  
gnouit fortunam. Ab uno enim ad alterum honoris  
gradum transfiliens, A. 1674 a Rege suo munus sum-  
mi Cancellarii Regni Danici, et A. 1675 ab Imperatore  
Romano dignitatem S. R. I. Comitis acquisiuit, A. 1676  
uero hac Regis gratia adeo excidit, ut capite plexus fuif-  
set, nisi Rex supplicium ei, carnifice manum ad caedendum  
iam tollente, condonasset. Tandem ei, in prædiis suis  
uiuenti, incendium fatale, A. 1679, *omnes eripuit libros.*  
Multo uero maius illud erat damnum, in quod, A. 1728,  
Haffnia ipsa, deflagratione per triduum urbem uastante,  
incidit. Periit enim hoc igne *bibliotheca Academica*, quæ et  
huic Musarum sedi, et omni rei literariæ, fuit ornamen-  
to. Periit *Walkendorfsiana*, a Christophoro Walkendorfo,  
supremo regni et curiæ Magistro, A. 1595, in publicum  
conuersa usum. Periit *Borrighiana*, a cel. Olao Borrighio colle-  
cta, et simul cum domo, horto et laboratorio Chymico, A.  
1691, publica facta. Nihil dicam de *bibliothecis Christ. Wormii,*  
*Marr. Rekbergii, Io. Gramii*, aliorumque, in Academia Haff-  
niensi Professorum, quæ omnes eodem interierunt tem-  
pore. Hispania, præter ceteras bibliothecas, præsertim *Sco-*  
*rialesi* gaudet, quæ Philippo II, huius monasterii S. Lauren-

\*\*\* 2

tii

11111



tii fundatori, sua quoque debet initia. At splendida haec bibliotheca, A. 1671, orto incendio, magnam librorum partem Vulcano tradere cogebatur. Accendebatur enim hoc anno in honorem Caroli II ignis artificiosus, qui uero in naturalem mutabatur, et tanto faeuit, per sex dierum spatium, impetu, ut nihil, nisi perdurans pluuia, illum extinguere potuerit. Parisiis adhaec *bibliothecae Valincurtianae*, A. 1726 factam, combustionem reperimus, cuius bibliothecae pretium censebatur circiter 200000 librarum Gallicarum. Nunc quidem etiam Anglorum, Batauorum, et praesertim Germanorum bibliothecas concrematas considerandi mihi erat animus, sed eum mutare quibusdam de causis sum coactus. Differam igitur eorum expositionem ad aliud tempus, quo copiosius de iis loqui poterō. Nihil uero iam restat, quam, ut fontes etiam indicem et manifestem, ex quibus, quae de incendiis protuli bibliothecarum, hausi et, quinam euoluendi sint libri, siquis plura hac de re scire cupiat. Ex ueteribus conferantur Suetonius praecipue, Liuius, Plinius, alique. Ex recentioribus uid. Iust. Lipsii, Theoph. Spizelii, Io. Lohmeieri, aliorumque de *bibliothecis* Scriptorum tractatus, a Madero et I. A. Schmidio collecti, Thom. Bartholini *de incendio biblioth. diff. ad filios* iam supra allegata, Schelhornii *amoenit. literar.* Hottingeri *biblioth. quadripartit.* Loescheri *de bibliothecis* tractat. Gundlingii *Collegium H. L.* Struuius I. c. I. A. Fabricii *Abriss einer allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit*, omnesque, qui historiam literariam, siue generatim, siue speciatim, explicarunt. Utinam, his expositis, me ad illud statim uertere possem, cuius causa hoc elaborandum mihi erat schediasma, ad inuitationem eorum scilicet, quibus, capeffendi summos in Philosophiae honores, est animus! Utinam ne ego cogerer, similes cum iis, qui libros incendio amiserunt, instituere lamentationes! Sed, proh dolor! non possum, quin, de aliorum scribens bibliothecarum conflagrationibus, etiam meam collectionem

nem



nem igne consumptam memoria reperam. Dies XXV  
 mensis Ianuarii huius anni erat illud infelix temporis spa-  
 tium, quo media fere nocte, hora nimirum XI, flamma,  
 ex aedibus uicini erumpens, tam subito nostram accen-  
 debat domum, ut uix ac ne uix quidem quicquam potue-  
 rit conseruari. Hinc factum est, ut, et b. parentis mei et  
 mea bibliotheca simul cum aedificio, suppellectile omni,  
 magnaue parte opum nostrarum ab igne maximo sit  
 deuorata impetu.

Doleo uero praesertim deploranda b. genitoris mei  
 fata, qui in summa sua senectute et annum LXXXIII  
 implens, debilitatis uiribus, corpore aegrotans, pedibus nu-  
 dis, tempestate admodum frigida soloque niue tecto, e  
 domo suo igne expellebatur, firmo tamen ac patienti ani-  
 mo haec ferebat mala, cum Iobo dicens: *Deus dedit, Deus  
 abstulit, sit nomen Domini laudatum.* Periit eius, ex tot  
 millibus uoluminibus constans, bibliotheca, in qua prae-  
 fertim thesaurus omnium Dissertationum et Program-  
 matum, quae unquam a Reformatione, in Germaniae  
 Academiis, typis expressae erant, quasque tum ipse pa-  
 rens, tum auus per centum annos operose collegerat,  
 admiratione, nunc uero deploratione, est dignus. Periit  
 et mea collectio librorum, quorum usus quondam me  
 delectabat, quibus destitutus uix propositum meum de  
 incendiis bibliothecarum scribendi ad finem perduxissem,  
 nisi ex suis thesauris libros communicassent MAECE-  
 NATES, summa animi obseruantia colendi, quorum  
 bibliothecarum non solum, sed ipsorum potius salutis in-  
 columitas sit perennis. Periit mea quoque lapidum mine-  
 raliumque numerosa collectio a Viro, dum uiuebat, Illu-  
 stri, IO. HENRICO HEVCHERO, Regio Archiatro et a  
 Consilii Aulae, incepta, ab Auunculo autem meo, Regio  
 quondam Consiliario aulico et Archiatro domus Radziui-  
 liae, b. GODOFREDO FLOERCCIO, uasis praesertim  
 perauicta, periit inquam, cum pretiosissimi lapides fur-




to sint ablati, et pars eorum, quam adhuc possideo, ita est conturbata, partim etiam fracta, ut uix ullo tempore in pristinum redigeretur ordinem. His bonis amissis, animum tamen non amisi, sed cum Bartholino l. c. dico: „Imperium in bona mea exercuit Vulcanus, non „in animum, saeuitque in chartas innocentes, ut ad in- „nocentiam me informaret. Si fractus incendio illaba- „tur orbis, impaudum ferient ruinae. Super est mens ho- „na, quam Deus dedit Philosophia perfecit.“ Haec enim Philosophia, Christiana nimirum, non profana, nostrum corroborat animum, in rebus aduersis nos solatur, et, in felicitate ne simus elati, nec in calamitate timidi et impatientes, docet.

Quo insignior igitur est huius Philosophiae praestantia, eo maiores sunt honores, qui Philosophiae tribuuntur cultoribus. His enim testari possunt, se non leuiter hac imbutos esse sapientia, sed ad intimos eius penetrasse recessus, cum iste honor, qui gradus uocatur Magisterii, non nisi dignis est conferendus. Cum igitur ab Ordine Philosophorum Amplissimo DECANVS sum constitutus, simulque hosce honores illis, qui merentur, tribuendi est mihi data potestas, omnes ac singulos, qui Philosophiae dederunt operam, ad hos acquirendos honores, quos die XVII Octobris publice impertiar, inuito. Accedite igitur, Honoratissimi Philosophiae ac Poeseos CANDIDATI, profitemini uestra apud me nomina, et credite, nemini, qui eruditionem suam in hac Philosophia artibusque liberalibus rite demonstrabit, hos honores facile me esse denegaturum. Ceterum DEVS T. O. M. nostra fortunet suscepta, ut omnia in nominis sui gloriam, ecclesiaeque utilitatem eueniant.

P. P. FESTO VISITATIONIS MARIAE

A. R. S. clō lō CCLVIII





ak. 529

X 2313070

B.n



DECANVS  
PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
ERN. GODOFR. CHRISTIAN  
SCHROEDERVS  
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ASSESSOR  
ET H. T. IMPERIALI AVCTORITATE  
CONSTITVTVS COMES  
PALATINVS  
PHILOSOPHIAE AC POETICES  
CVLTORIBVS

S. D. P  
EOSQVE AD SOLEMNIA DIE XVII OCTOBRIS  
RITE CELEBRANDA  
INVITAT

---

VITEMBERGAE  
LITERIS TZSCHIDRICHIANIS